DE HERNIIS, SPECIATIM INCARCERATIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI DEFERANTUR,
DIE VI. M. APRILIS A. MDCCCXXIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

CAROLUS FERDINANDUS RUPP
DUBENENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. MÜLLER, MED. ET CHIR. DR.
F. SCHIELE, MED. ET CHIR. DD.
F. PÜLLENBERG, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

QUI BENE DISTINGUIT, BENE MEDEBITUR.

A V O

AESTIMATISSIMO, DILECTISSIMO

GOTTFRIED ARNDT,

MAXIME DE SE MERITO,

NEC NON

PATRI

OPTIMO CARISSIMO

C. A. L. RUPP,

AD OBITUM USQUE COLENDO

HASCE
STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS
SUMMAE PIETATIS
GRATISSIMIQUE ANIMI SIGNUM

D. D. D.

FILIUS.

Quantumvis intestina sint tetra scybalorum hospitia et squalida sordium receptacula, eoque fine in imo ventre collocata, ut a sublimi rationis arce impuritates longissime abessent, utque horum ministerio sordes ex corpore commodius eliminarentur, tantum tamen abest, ut anfractuosi illi et varie circumgyrati canales foetido illi operi, ut ut oeconomiae animali persalutari sint unice a natura destinati, ut potius in iis nectar illud vitale, chyli nomine insignitum, sanguinique ac ceteris fluidis nec non partibus solidis conservandis nutriendisque adeo necessarium, paulo perfectius elaboretur, atque ab impuro segregetur. Namque eum in finem non modo praememorata intestina ex inferiori ventriculi orificio educuntur plicisque mesenterii mirabilem in modum adnectuntur, verum in eorum quoque cavitatem varii succi confluunt, quo cooperante mirifica, qua donata sunt, structura praestantissimo illo opere expedite perfungi queant. Uti vero universi corporis salus a bona harum partium constitutione dependet; ita contra variis iisque permultis morbis adfectae non dumtaxat molestias in corpore multifarias excitant, sed et non raro idem in pessimum statum conjiciunt, aut penitus enecant. Ex infinitis,

quibus corripiuntur morbis, eos, qui a situ eorum morboso atque a statu naturali deflectente dependent, ad examinis incudem revocare in praesenti fert animus.

Herniae, quibus neque aetas, neque sexus, neque ullus hominum ordo immunes sunt, iure meritoque habentur morbi gravissimi momenti. Quamquam enim exiguae esse videntur, tamen saepissime maximo coniunctae sunt periculo, ita ut ad eas sanandas summa opus sit medici experientia dexteritateque.

Definitio morbi. Quum viscus quoddam e cavo a natura sibi designato excedit aliumque locum a cute detectum sibi vindicat, ramex, s. cele, s. hernia oritur.

Dum viscus excedit tunica, cavum circumdans, una cum visceribus protruditur, saccumque format herniosum. Violentia 1) autem, vel laesione aliqua cavitati illata, vel adhibitis remediis causticis, ad herniam plane sanandam, saccus ille herniosus non raro desideratur. Et herniae quidem abdominales in omni abdominis loco oriri possunt, praesertim cum abdominis integumenta vi, ipsis illatae, non valde resistant, imo potius facile rumpantur. Attamen in illis praecipue locis reperiuntur, quae nervi penetrant et vasa maiora.

---

1) Garengeot, Traité des operations de chirurgie. T. I, p. 373.

Aetiologia.

Abdominis integumenta, praecipue autem musculi abdominales et viscera in abdominis cavo sita, mirum in modum inter se invicem agunt et reagunt. Abdominis musculi visceraque, quamvis diverse agant, tamen in actione sua sibi respondent, quae interdum morbis turbatur. Interdum enim viscera validius agunt, quam musculi abdominales. Et hoc quidem fieri potest in toto abdominis ambitu e. c. in hydrope, tympanite, graviditate etc. Integumentis autem singulo quodam abdominis loco vi intestinorum extendenti non resistentibus, hernia oritur et saccus formatur, cuius orificium semper angustius est, quam fundus.

Et duplici quidem causa integumenta hoc modo extendi possunt, nam locus quidem abdominis aut debilitatur, viscerumque actioni minus resistit, quam alia loca, aut intestina vehementius ad locum integrum admoventur. Unde patet, omnes herniarum causas in duas dividi posse classes, quarum altera causas in se continet, quibus abdominis integumenta vel omnino, vel ex parte tantum debilitantur. Herniae igitur vel in loco quodam abdominis certo debilitato oriuntur, vel, integumentis plane debilitatis, plerumque in locis observantur a natura ita constructis, quae viscera cavo excedentia in se recipiunt, ut canalis inguinalis, cruralis et umbilicalis.

Causa herniarum praedisponens debilitate praecipue niti videtur, quod praecipue eo intelligitur, causam interdum minoris momenti externam, neque saepe violentam, herniam gignere. Quid? quod suspicari fere potest, hernias interdum ex hac sola causa praedisponenti originem trahere, nam accidit, ut herniæ interdum sua sponte quasi sine omni causa occasionali gignantur, 2) et inter omnes constat, hanc herniarum causam prædisponentem interdum hereditariam esse 3), et in laxitate congenita et debilitate partium supra commemoratarum conspici. Simili enim ratione, qua in phthisicis pulmonum debilitas hereditaria existere potest.

Et haec quidem causa praedisponens produci potest repetito partu difficili, ventre obesissimo, magna extensione ventris in hydrope et graviditate, subita macie ventrem obesissimum subsequente, cicatricibus vulnerum antecedentium, praecipue autem si laesio quaedam abdomini illata cum contusione coniuncta erat.

Alteri classi omnes adnummerandae sunt causae, quae intestinorum pressionem in abdominis integumenta magnopere augent; hoc modo agunt viccera abdominis degenerata et praeter naturam extensa, intestina crudis cibis in modum repleta, potus relaxantes nimis hausti, e. g. thea 4) etc.

---

2) A. G. Richters Abhandlung von den Brüchen. Göttingen 785, p 24.
3) B. D. Mauchart, Dissertatio de hernia incarcerata. Tübingen 722.
4) Berlinische Nachrichten von Staats- und gelehrten Sachen. No. 277. 1828.

Causae occasionales omnes sunt violentiae, quae efficiunt, ut diaphragma, musculis abdominis vehementius contractis, nimis descendat, qua re viscera valde in internam ventris superficiem impelluntur, qua ex causa, retenta respiratione, ictus, vulnera, corpori illata, magna, clamor gravissimus cantusque, vomitus, difficilis excrementorum excretio, saltus, lapsus ex alto, equitatio vel gesticulatio fortior, vestes angustiores, difficilis partus, ira vehementior 5), terror inopinatus 6) aliaque herniam producere possunt. In quibusdam regionibus herniae frequentius observantur, quarum causa et climate, et vitae genere, et labore peculiari, quo incolae obnoxii sunt, et potentiis eiusmodi nocentibus pendere videtur 7).

Diagnosis.

Quilibet tumor, aut in umbilico, aut in annulo inguinali, aut in flexura femorum se ostendens, suspicionem herniae movet, praesertim cum tumor doloris expers repente appareat. Tumor omnis manu leniter depressus aegro praesertim supino minuitur, aut penitus evanescit, in situ autem aegri erecto, in tussiendo, in sternutando, in retinendo respirati-

5) L. Heisteri Institutiones anatomico chirurgicae. Amstel. 739. pag. 802.
6) Ruysch, Observationes anatomico chirurgicae. Observat. 98.
7) A. G. Richters chirurgische Bibliothek. Bd. 8. p. 142.

onem, post coenam et flatubus ortis denuo intumescit. Interdum etiam aegrotus in tumore ipso murmur quoddam et diversas laesae viscerum functionis molestias persentit, e. c. alvum tardam, ructus, vomituritiones, vomitum, vagos ventris dolores etc. quae signa evanescunt, tumore reposito, tunc alvus quoque vulgo laxatur.

Herniae autem parvae et in profundo sitae diagnosis saepe difficillima, tantummodo exploratione diligenti confirmari potest. Tumoris enim omniumque praesentium symptomatum originem respicias, necesse est.

Partium, quae herniam formant, cognitio saepe difficillima, imo partes illae saepe nullo modo diagnosci possunt, propterea quod earum integumenta saepe mirum in modum commutantur.

Enteroceles, s. herniae intestinalis signa. Manum si admovemus tumori, aequabiliter durinsculam inflatoque intestino haud dissimilem prominentiam persentiscimus. Ubi sensim vitium illud increvit, tumor omnis, aegro praesertim supino, leniter manu depressus, evanescit, fereque semper cum crepitu seu certo quodam murmure in abdomen rursus ascendit, quod murmur etiam aegrotus in ipso interdum tumore sentit. Praeterea tumor crescit, si intestina nimis impleta sunt, neque raro functionem viscerum abdominalium laesam efficit.

Epiploceles, s. herniae omentalis signa.

Ubi nonnisi omentum elapsum est, molliorem ut plurimum atque pinguedini, quoad tactum, similem, quoad magnitudinem vero non aeque, ut in hernia intestinali accidit, mutabilem sed constantem plerumque tumorem aliquem deprehendimus. Hernia omentalis forma plerumque cylindracea lataque basi praedita, tardius oritur, difficilius reponitur, quam hernia intestinalis, peractaque repositione nullum oritur murmur.

De aliis visceribus, quae hernia continet, herniae locus, eius natura, atque laesa praeiacentium partium functio nos certiores faciunt. — Si complures partes una in hernia sitae sunt, symptomata existunt mixta. —

Herniarum diagnosis incarceratarum.

Ratione sublata, quae exstitit inter contentas et continentes herniae partes et communicatione inter abdomen atque herniam interrupta, hernia incarceratur. Namque coarctatis eis foraminibus, ex quibus intestina proruperunt, haec constringuntur, vel incarcerationis causa una in coarctatione foraminum et in distentione intestinorum sita est. Quod attinet ad partes in hernia contentas, incarceratio vel per hiatus istos musculorum abdominis, ex quibus intestina una cum interna peritonaei membrana proruperunt, vel per saccum herniosum adduci potest. Intestinis enim subito prolapsis aut distentis,

partes enim aponeuroticae, abdominis aperturam formantes, adeo extenduntur, ut intestina constringantur, cum pro sua natura elastica ad statum naturalem redire studeant, quamvis non contrahantur. Incarceratio autem herniae inguinalis, cuius collum fibrae musculi abdominis oblique ascendentis et transversi circumdant, praecipue musculorum contractione spastica produci videtur.

Saccus herniosus incarcerationem aut in collo, aut in diversis corporis sui locis coarctationibus et stricturis, quae in eodem se conformant 8), procreat, vel intestina, sacco hernioso rupto procedentia coarctantur.

Partes in hernia iacentes incarcerationem efficere possunt: aut intestinorum aucta procidentia, aut intestinis nimis impletis, aut inter se convolutis, aut tumescentia affectis inflammatoria.

Causae incercerationis singulae cuiusvis difficile, saepe nullo modo cognosci possunt. Attamen hisce fere notis incarceratio dijudicanda est.

1. In herniis subito et per insignem violentiam exortis, incarceratio adduci solet, si foramina, per quae intestina proruperunt, maiori eorum prolabenti copiae non cedunt.
2. Deinde in herniis bracherio diu retentis, nunc autem subito prolapsis, collum sacci herniosi in-

---

8) M. J. Chelius, Handbuch der Chirurgie. B. 1. §. 927.

carceratum esse videtur, si ambitus foraminum, ex quibus intestina evaserunt, non quidem tenditur, sed herniae tumor, quamvis tensus sit, tamen moveri potest, et repositione tentata, pone abdominis aperturam augetur.

3. Saccum herniosum ruptum, aut intestina prolapsa inflammatione affecta, incarcerationem efficere opinamur, vi herniae illata.

4. Intestinis autem sorde intestinali repletis, incarceratio maximam ad partem tardius producitur, et in herniis quidem inveteratis, ventriculo cibis sensim sensimque repletis. Incarceratio autem intestinis inter se convolutis ante operationem cognosci non potest.

Incarcerationis species et decursus.

Quarum omnium incarcerationis causarum, si rationem habueris symptomata et decursum eius, facile varia invenies. Jure meritoque igitur distinguere possumus incarcerationem inflammatoriam, spasticam, organicam et chronicam.

Incarceratio inflammatoria, s. acuta. Incarceratio acuta praecipue in eo cernitur, ut intestina prolapsa constringantur, qua re nonsolum communicatio inter ea et cavum abdominis plane tollitur, sed etiam sanguinis reliquorumque humorum in eodem circuitus impeditur; in hac igitur incarcerationis forma symptomata initio sunt vehe-

mentissima. Incarcerationem inflammatoriam haecce comitantur symptomata: hernia recenter exorta et incarcerata, exigua, tensa est tactuque recellit. Aeger simul laborat febre inflammatoria, annulus umbilicalis, inguinalis et cruralis valde dolet manu tantummodo admota. Dolor totum abdomen occupat, quod quidem symptoma summum aegroto comparat periculum, peritonaeum enim inflammatum indicat, abdomen intumescit, singultus accedit, pulsus durum se praebet, constrictum atque frequentem, aeger corporis animique afficitur debilitate, quae symptomata mox valde augentur.

Incarceratio spastica. Haec praecipue symptomatum remissione exacerbationeque insignis est. Tensio atque dolor initio totum magis occupant abdomen, quam ipsam circa herniam regionem abdomen prius tumescit, quam hernia, excretio alvina oppressa observatur, aegroti vulgo non vomunt, attamen interdum potus quosdam vomitione reddunt, pulsus est parvus, constrictus, respiratio animadvertitur brevis atque difficilis. Quae quidem affectiones morbosae celerius saepe nunc augentur, nunc diminuuntur. Aegroti constitutio causaeque diagnosin saepe dubiam faciliorem reddunt. — In hominibus hypochondriacis et hystericis haec symptomata saepius oriuntur, quamvis potentiae nocentes non antecesserint, quae maiorem intestinorum copiam propellere potuerint.

Frigus praesertim pedibus inde tactis omniaque, quae spasticam aut flatulentam, aut biliosam 9) colicam producunt, indigestiones, vermes 10) hanc incarcerationis speciem efficere possunt. Qua spastica ventris intestinorumque affectione intestina in hernia immobilia retinentur. False quidem Scarpa 11) hanc incarcerationis speciem negat, attamen iure profitetur, non annulum abdominalem contractum, sed musculos intestinaque spastice contracta incarcerationem spasticam procreare posse.

Incarceratio organica hisce signis cognosci potest: hernia inveterata et longum per tempus bracherio retenta, subito prorupit et nullo quidem modo reponenda doloribus aegrum cruciat, quamvis incarcerationis stercoraceae symptomata eam non comitentur; praeterea dolor magis collum sacci herniosi vel singula herniae loca e. c. annulum inguinalem aut regionem abdominalem occupat. Collo sacci herniosi indurato et coarctato, tela cellulosa degenerata intestinis inter se convolutis haecce incarceratio organica oritur.

In incarceratione passiva, s. chronica,

---

9) A. G. Richter's Abhandlung von den Brüchen. p. 145.

10) A. G. Richter's, Chirurgische Bibliothek. 8. Band. 1 St. pag. 79.

11) Anton Scarpa's, Anatomisch-chirurgische Abhandlungen über die Brüche. aus dem ital. übersetzt von W. Seiler, Halle 1813. pag. 147.

s. stercoracea hernia iam diu perdurans, magna, quae manui admotae magis mollem et confragosam, quam tensam atque resilientem sese praebebat, nunc primum tumescit, quamquam regio abdominis circa herniam annulumque abdominalem non dolet, et hiatus cruralis, aut inguinalis, aut umbilicalis apertus digitis exploratur. Aegrotus in hernia ipsa inconsuetam tantum gravitatem, aut strepitum, aut murmur quoddam persentit. Praeterlapsis autem aliquot diebus, abdomen, alvo obstructa, tensum atque dolens observatur, febreque inflammatoria accedente incarcerationis symptomata periculosa magis magisque augentur.

Haecce incarceratio chronica plerumque tantum stercore aut aëre in intestinis accumultato oriri solet.

Incarceratione non sublata gangraena timenda est, quae quidem eo facilius accedit, quo magis intestina incarcerata inflammatione laborant. Partes in hernia iacentes saepe gangraena afficiuntur, integris adhuc partibus externis. In universum aegrotus in qualibet incarcerationis specie et gradu leviorem se sentit, intestini vitalitate fere exstincta. Incipiente gangraena herniae abdominisque minuuntur dolores et vomitus paululum mitigatur. Hancce autem quietem fallacem symptomata sollicitudinis plena sequuntur; singultus, appropinquantis mortis praecipue in senibus signum, multo vehementior, quam antea evadit, sudor frigidus per totum corpus

diffunditur, cutisque frigidior 12) est, quam in homine paulo mortuo, pulsus est parvus, irregularis et tremens, facies commutatur, cerebri functio alienatur, color superficiei tumoris livide variegatus observatur, epidermis mollitur. Tumore simul digitis admotis cedente strepitus quidam auditur, et ex his quasi manifestis indiciis colligere poteris, a sphacelo iam tum occupata esse intestina. Tumor tandem rumpit, atque faeces pessime olentes edit. — Gangraena plerumque mortis est prodromus, attamen aegroti servari posunt, cum, separata intestini parte gangraenosa, remanentes intestini partes cum peritonaeo coalescunt, et anus formatur artificialis. Omento tantummodo incarcerato, symptomata plerumque non sunt tam vehementia, propterea quod omentum compressionem facilius sustentare potest, praesertim cum eius structura admodum mutata sit. Attamen inflammatio a parte incarcerata in reliqua intestina diffunditur, etsi alvi excretio non suppressa sit, tamen ructus et vomitus oriuntur et omentum incarceratum in suppurationem et gangraenam interdum transit.

Prognosis.

Quemadmodum herniae generatim pro morbis turpibus haberi et ab aegrotis occultari solent, ta-

12) Scarpa, l. c. pag. 254.

men fere semper etiam mali huius exitus anceps est atque periculosus, praesertim ubi eiusmodi hernia in incarceratam mutatur. Herniae, nisi reponuntur, magis magisque amplificantur, quo facto molestiae locales et universales maiores evadunt, imo tanta intestinorum copia in herniam prorumpere potest, ut plurima illorum pars in illa iaceat. Si nondum intercepta vel praeclusa intestina sunt, et hernia sensim sensimque orta est, mitior equidem noxa, neque adeo magnum subest periculum, imprimis ubi commodum, repositis intestinis, vinculum sive subligaculum adhibeatur atque constanter satisque diu gestetur. Infantes praecipue, eiusmodi bracherio per aliquot tempus adhibito, saepius plane sanandi sunt. Attamen non raro hernia valde molesta est, aegrosque ad multa negotia ineptos reddit, insuper etiam habito bracherio periculum est, ne vel mitissima etiamh ernia in tumore arctius includatur atque in incarceratam paulatim imo et subinde subito degeneret, noxasque supra memoratas singulas concitet. Et hernia quidem incarcerata plerumque vitam in periculum summum vocat, praesertim cum incarceratio magis sit acuta. Incarceratio stercoracea minus est periculosa, quam spastica, maximum autem periculum in aegrum invadit, ubi incarceratio ex intestinis inflammatis originem duxit, nisi enim mox auxilium feratur, aeger praeterlapsis paucis tantummodo diebus aut horis mortem fugere non valet.

Attamen herniae inveteratae et magnae non tam periculosae sunt, quam recentes atque parvae; illae enim difficilius incarcerantur, quod cum accedat, periculum neutiquam urget. Nam herniis saepius prolapsis et repositis, annulus abdominalis ita relaxatus intestinorum incarcerationem efficere non potest; herniae autem recentes facillime incarcerantur. Maximum autem instat periculum, hernia paulo post ortum incarcerata. In eiusmodi herniis Pott intra horas octo et Rust intra horas septem gangraenam sequentem viderunt.

Herniae intestinales periculosiores sunt, quam omentales, omnes herniae inguinales et crurales maius aegroto parant periculum, quam herniae umbilicales, ventrales, aliaeque. Celerrimum atque maximum est periculum, si, minima tantum parte vel uno tantum intestini pariete prolapsis, incarceratio fit. 13), propterea quod annulo abdominali haud relaxato intestina valde premuntur et inflammantur; vis enim, qua annulus abdominalis intestina comprimit, nequaquam mitigari potest. Mulieres herniis quidem inguinalibus rarius laborant, quam cruralibus, attamen herniae inguinales in mulieribus magis sunt periculosae, quam in viris. Contraria in viris animadvertuntur. Praeterea in prognosi ad aegrotum et ad complicationes praesentes respiciamus, necesse est.

---

13) Littrius, in Act. Acad. Paris 1700.

Therapia.

In herniis curandis praecipue natura earum consideranda est. In herniis igitur mobilibus intestina reposita semper retineri debent. Ad levandam autem repositionem partium prolapsarum et incarceratarum, cavo abdominis quantum fieri potest amplificato, aegrotum ita collocamus, ut hernia corporis pars sit altissima. Hernia enim, quo altius sita est, eo facilius regreditur, cum gravitate sua intestina recedant. Quare collocatio aegroti durante incarceratione non modo, sed praesertim etiam, dum taxin tentamus, haecce sit: Jaceat supinus, neque sedeat, neque statum obtineat erectum. Sin autem situm mutare velit aeger, ab aliis adiuvari debet, ne nisu et mutatione corporis contractio musculorum abdominalium oriatur, qua cavi abdominis spatium minuitur. Pelvis paululum altius collocetur, capite pectoreque, ut tumor magis promineat, qua de causa aegrotus paululum ad latus sanum cubet, necesse est. Ne tensio abdominis noxia oriatur, genu lateris, in quo est hernia, flecti debet. Praeterea aegrotus valde caveat, ne inter taxin exspirationem negligat atque clamores tollat. Taxin nunc hoc modo instituimus.

Tumorem hernialem sic amplectimur, ut fundus eius iaceat in vola manus, digiti autem latera

circumdent; tum eum elevando ab abdomine amovemus, quo facto versus annulum abdominis et quidem a parte inferiori ad superiorem premitur; hoc tentantes, caveamus, ne statim maximo impetu repositionem tentemus, sed potius vim initio adhibeamus minorem maioremque inde sensim sensimque exerceamus in tumorem. Si enim tumorem hernialem manipulatione haud subtili sinistre et rustice tractamus, mox adeo dolet, ut taxi sit abstinendum. Facile etiam, si extemplo tanta utimur vi, intestina sic versus aperturam, qua prolapsa sunt, truduntur, ut ab iis plicae formentur, quae haud raro quodvis experimentum, a nobis ad eas reponendas tentatum, spernunt. Taxi autem sic instituta minus nobis succedente, tumoreque omnibus in directionibus compresso saepius aegroto ipsi adhuc contigit, praesertim cum hernia saepius iam prolapsa ab illo reposita fuerit, ut manipulatione illa, qua prius ille usus est, taxi tentata, herniam reponat.

Altera taxeos methodus consistit, partes, herniam circumdantes, versus centrum tumoris trudendo. Hunc ad finem totum tumorem manu amplectimur digitisque ut plurimum eum tegimus; quo peracto eum paullulum elevamus, simulque pressionem a tota superficie in eum exercentes aequalem, eumque modo huc, modo illuc flectendo reponere studemus. Hanc reponendi methodum quam

maxime laudat **Petit** 14), praecipueque salutaris est, faecibus pone annulum abdominalem accumulatis, aut ab intestinis prolapsis plica ante eum formata.

Alterum adhuc taxin instituendi modum **Richter** 15) commendat, qui a methodis iam descriptis eo differt, quod hic manipulationem non tam in tumorem hernialem, quam potius in collum sacci hernialis et annulum abdominalem vertimus.

Imponimus enim annulo unum aut duos digitos, eosque, vi sensim sensimque aucta, tumori quasi imprimimus; quae dum agimus, aegrotum iubemus reflecti, ut tensis abdominis musculis annulus amplificetur.

His omnibus methodis frustra adhibitis aliud artificium laudant **Morand** 16), **Sharp** 17), **Heuermann** 18), et **Louis** 19). Homo validus, aegroti pedes sic humeris sibi imponit, ut his genua aegroti incumbant, abdomineque parte maxime pro-

---

14) Petit, Traité des maladies chirurgicales. Tom. II. pag. 323.

15) A. G Richter's Abhandlung von den Brüchen. p. 172.

16) Morand, Vermischte chirurgische Schriften. p. 323.

17) Sharp. Critical Enquiry into the present state of Surgery. pag. 22.

18) Heuermann, Chirurgische Operationen. 1. B. Kap. Von den Brüchen.

19) Louis, Memoires de l'Acad de Chirurgie. Tom. XI. pag. 432.

minente facto, caput pectusque lecto adhuc versentur, quo in situ medicus taxin exercet.

Repositio herniae taxi adhibita vario modo secundum sacci contentorum indolem fit. Si pars tractus intestinorum in saccum prolapsa est, manipulatione supra iam commemorata tumor sensim sensimque diminuitur, mollior redditur, donec tandem subito et cum strepitu in abdominis cavum redeat. Si e contrario pars omenti sacco inest herniali, repositio medico maiorem affert operam, cum et minima eius particula ab eo per annulum retrudi debeat. Repositione peracta, saccus herniosus remanet vacuus, quare tumor parvus in latere, quo hernia incarcerata aderat, timorem, ne plane sit reposita, nobis haud incutiat. Bracherio apte applicato aegrotus, repositione feliciter peracta, utatur, necesse est, quod, ne hernia iterum prolabatur, multos per annos est adhibendum.

Valde erras, putans, aegrotum taxi feliciter peracta omni periculo liberatum esse. Haud quidem negandum est, intestinis repositis, omnia statim evanescere incarcerationis symptomata, aegrotumque quasi in vitam redire. Attamen interdum fieri potest, ut omnia aut nonnulla symptomatum antecedentium taxi feliciter peracta perdurent atque aegrotus in periculo adhuc versetur, quod causa incarcerationis per taxin nondum sublata, quamvis intestina non constringat, tamen alia producit sympto-

mata non minus periculosa, uti saepius observatur in incarceratione biliosa.

Deinde inflammatione intestinorum exorta, incarcerationis symptomata per taxin tolli non possunt.

Interdum etiam accidit, ut hernia reposita esse videatur, quamvis intestini particula quaedam, digitis non comprehenda, in altiore sacci hernialis collo incarcerata sit. Praeterea aegroto duabus laboranti herniis, maiore quidem reposita, minor neglecta incarcerata remanere potest.

Porro intestina reponenda inter se aut cum omento ita convolvi possunt, ut intestini quaedam pars constringatur, quae quidem praecipue observantur, partibus prolapsis pone annulum abdominalem praeter normam inter se coalitis. Nonnulla eiusmodi exempla in medium protulerunt La Peyronie 20) et Louis 21)

In herniis inveteratis, Richter 22) ait, partem intestini in annulo abdominis per longum tempus sitam constringi et, exorta incarceratione, taxeos ope reposita transitum faecium impediri, quo symptomata incarcerationis orirentur. Prognosis sub

---

20) La Peyronie, Memoires de l'Acad. de Chirurg. de Paris. T. III. pag. 327.

21) Louis, Memoires de l'Acad. de Chirurg. de Paris. T. III. pag. 327.

22) A. G. Richter's, Abhandlung von den Brüchen. pag. 191.

his conditionibus tristis; symptomata dira minantur, sed medicus saepissime causam dignoscere nequit, et therapia modo tussi, nisu, motibusque aegroti eo perducere studet, ut hernia denuo prolabatur, quo in casu taxis rursus tentatur, aut herniotomia instituitur. Richter, si hernia non prolabitur, suadet 23), saccum hernialem vacuum, tunc annulum abdominalem incidendum et operationem instituendam.

Sequentes autem status, quamquam taxin caute instituendam non vetent, tamen difficiliorem reddunt.

1. Si herniae inveteratae, per longum tempus bracherio retentae, prolabuntur et incarcerantur, propterea quod hoc in casu collum sacci hernialis induratum est et constrictum.
2. Si hernia inveterata concreta incarceratur.
3. Si volvulus partis tractus intestinorum incarceratae adest; quod autem praesagire non possumus.

Taxis autem plane omittenda est:

1. Si inflammatio iam nimis progressa est.
2. Si gangraenam iam exortam esse, suspicamur.

Hernia taxeos ope non reposita, sequentia praecipue commendantur remedia.

Purgantia. Inter haec referenda sunt praecipue Magnesia sulphurica, Natrum sulphuricum, Kali subcarbonicum, Extractum colocynthidis, Lac

---

23) l. c. pag. 190.

sulphuris, Rheum, Herba nicotianae, Oleum ricini, Oleum lini, etc.

Omnia autem haecce remedia prodesse tantummodo possunt, ubi incarceratio, faecibus in intestinis accumulatis orta est; aeger enim, hac incarcerationis specie effectus, quod valde non vomit, remedia sumta facile retinet. Deinde purgantia minus irritant aegrum, propterea quod inflammatione initio non premitur. Purgantia igitur utilitatem afferunt, dum motum inertium sacci herniosi intestinorum peristalticum humorumque affluxum augent, qua re faeces emollitae et mobiles factae amoventur. Postremo maximi momenti sunt purgantia in incarceratione biliosa et verminosa.

Clysmata aut irritant, aut vim narcoticam exercent et mitigant. Altera, irritantia e Magnesia sulphurica, Aqua frigida atque Aceto vini 24), e Fumo et Decocto herbae nicotianae, e Terebinthina cum vitello ovi mixta, e Solutione tartari stibiati, Aqua benedicta Rulandi, Aloë aliisque remediis parantur. Altera, mitigantia et narcotica ex Infuso coffeae arabicae tostae, aut herbae belladonnae, aut hyoscyami constituntur. Clysmata auxilium aegroto praebent, cum intestina irritent et motum illorum peristalticum augeant, deinde induratas etiam in hernia accumulatas faeces amovent, non

24) Thedens Bemerkungen. B. II.

raro quoque spasmum, ex quo incarceratio originem duxit, tollunt; spasmos enim e parte quadam corporis evanescere, alia parte irritata inter omnes constat.

Remediorum antispasticorum praestantissimum et in omni quidem incarcerationis specie adhibendum, est balneum tepidum, quod symptomata tubi intestinalis urgentia non solum mitigat, sed taxin quoque faciliorem reddit. Attamen vim tantummodo salutarem exercere valet, si aegrotus longum per tempus in eo versatur. Praeterea huc referenda sunt Opium, Pulvis radicis ipecacuanhae, Extractum hyoscyami, Aqua lauro-cerasi, Moschus, Castoreum aliaque remedia.

Remediorum antiphlogisticorum vulgo adhibentur venaesectiones largae, iterum iterumque repetitae, Kali nitricum, Hydrargyrum muriaticum mite, Herba digitalis purpureae, Aqua lauro-cerasi etc.

Remediis externe adhibendis adnumerantur fomentationes frigidae, aut ex Aceto et aqua, aut Aqua saturnina, aut glacie, aut nive paratae, hirudines, fomentationes tepidae ex Infuso florum chamomillae, herbae cicutae, hyoscyami, aliaeque, cucurbitae siccae, Linimentum volatile, Aether herniae tumori instillandus.

Ad tollendam herniae incarcerationem praesertim ipsius natura respicienda est.

In incarceratione igitur inflammatoria omnia remedia irritantia et purgantia quidem, quibus imperitus alvi obstructionem tollendam putat, evitari debent, cum haud dubie inflammationem magis augeant. Ne inflammationem gangraena sequatur, remedia tantum sunt adhibenda antiphlogistica, quorum venaesectio memoratu est dignissima. Venaesectio enim non solum inflammationem sedat, sed efficit quoque, ut taxis melius procedat, quod diminuta humorum quantitate solidae partes relaxantur. Quid? quod Garengeot 25) herniam sua sponte durante venaesectione in cavum abdominis revertentem vidit. Venaesectio instituatur, si fieri potest, in balneo tepido, utque ejus efficacia eo evidentius animadvertatur, scriptores quidam, sanguine ad lipothymiam usque misso, taxin tentandam esse suadent. Et revera quidem animi deliquium corporisque totius relaxatio momentum esse videtur herniae reponendae aptissimum.

Attamen cum interdum accidat, ut aeger in statu versetur, in quo venaesectio adhiberi usque ad lipothymiam non licet, et cum permulti homines, venaesectione instituta, ad lipothymiam non reducendi sint, satius videtur venaesectionem caute tantummodo in auxilium esse vocandam. In incarceratione igitur inflammatoria venaesectio sit copiosa

---

25) Garengeot, l. c. T. I. p. 273.

semperque venae incisio magna, ut repente universus vasorum oriatur collapsus. Caveas, ne putes, pulsus debiles, parvos, suppressos, respirationem debilem, extremitatum frigus, pallidam faciem et collapsam, tremorem artuum aliaque symptomata similia venaesectionis esse contraindicationes. Omnia enim haecce symptomata, viscerum inflammatione orta, majorem sanguinis quantitatem mittendam postulant,

Instituta autem venaesectione larga, nisi taxi hernia superanda sit, aeger collocetur in balneum tepidum per horam unam, in quo repositio iterum tentetur; attamen cum intestina inflammata taxin plerumque prohibeant, cavendum est, ne nimia vis adhibeatur ad reponendam herniam. Et detracta quidem sufficiente sanguinis quantitate, taxique in balneo tepido frustra adhibita, si dolor aliaque incarcerationis symptomata adhuc perdurant, applicari possunt circa tumorem hernialem hirudines, iisque remotis, fomentationes frigidae ex aqua, glacie etc. Obstructionem pertinacem clysmatibus emollientibus ac lenientibus, nullo modo autem irritantibus tollere studemus. Sed, si propter symptomatum vehementiam et aegroti constitutionem, huic curandi methodo, praeterlapsis viginti quatuor horis, taxis non contigit, sperare non possumus, fore, ut hernia hoc modo reponatur. Nunc tempus accedit

instituendae herniotomiae, quo diutius enim operatio differtur, eo prius aegrotus defungi solet.

Remedia interna plane rejicienda esse censeo. Omnia enim, quae nobis adhibenda essent, tractui intestinorum, cujus tam irritabilitas, quam sensibilitas sunt auctae, stimulum nimis magnum inferunt, et vomitus, aegrotum praeterea tantopere crucians, modo augetur. Abstineamus igitur a remediis internis, nisi forte, doloribus saevientibus, inquietudine, anxietate summa ac vomitu pertinacissimo aegro vexato opio succurrere volumus, quo remedio non modo nobis, sed etiam aegroto satisfacimus; sed abstineamus ab hoc remedio, si eo assumpto, vomitus non mitigatur, necesse est.

Diaeta sit antiphlogistica. Ori sicco et ardenti potum frigidum et acidulum suppeditamus. Sed ne hauriat aegrotus plus, quam quo desiderio flagranti aliquo modo satisfaciat. Potus enim largior ventriculo molestus est, indeque vomitus, si nondum adest, movetur, aut, si aegrotus vomitu jam vexatur, magnopere augetur. Aegrotus jaceat loco frigidiusculo; utatur integumento levi, tenui, pedes et superioris corporis pars admoveantur abdomini, ne tensis abdominis musculis incarceratio augeatur.

Incarceratio spastica, quamvis saepe symptomata eam comitentur vehementiora, non tam acuta est, quam inflammatoria mera. Attamen in-

carceratio spastica plerumque mox in inflammatoriam mutatur.

Praecipue in usum vocanda sunt in hac incarceratione spastica balnea tepida nec non venaesectiones. Richter maxime laudat pulverem radicis ipecacuanhae, omni semihora quartam grani unius partem sumendam, propterea quod usus ipecacuanhae minime contraindicetur. Rust haecce remedia, caute adhibenda esse censet:

Rp. Calomel. gr. iij.
Opii puri.
Moschi optimi aa gr. ij.
Sacchari albi gr. x.
M. F. pulv. D. S. Sumatur omni bihorio dosis.

Rp. Opii puri gr. j.
Sacchari albi gr. x.
M. F. pulv. D. S. Sumatur omni bihorio dosis.

Opii dosis supra memorata Rust tam diu aegroto porrigit, donec accedente levi narcoseos gradu aeger somno opprimatur, quo in statu caute repositio tentanda sit. Praeterea etiam clysmata antispasmodica adhibenda sunt, praecipue ex Infuso herbae belladonnae aut hyoscyami parata. Maximam autem utilitatem afferunt clysmata e fumo herbae nicotianae parata, ex Rustii sententia tantummodo narcoseos causa adhibenda. Uno eodemque tempore herniae ipsi et toti abdomini imponen-

dae sunt fomentationes tepidae sedantes ex Infuso florum chamomillae, herbae hyoscyami, cicutae etc. paratae, simulque toti abdomini herniaeque linimentum volatile cum opio mixtum et camphora infricandum est.

A diaeta haud differt, quam in incarceratione inflammatoria adhibendam supra jam memoravimus, aegrotus tantummodo versetur in cubiculo calefacto, quo omnes corporis partes eo magis relaxentur.

Attamen omnia haecce remedia nisi intra horas viginti quatuor usque ad quadraginta octo incarcerationem subtulerint, omittenda sunt, nunc enim, incarceratione spastica jam in inflammatoriam mutata, herniotomiam quam celerrime in auxilium vocandam esse censeo.

Incarceratio organica plerumque eandem postulat curationem, quam inflammatoria, quamvis non tam acute decurrat, quam illa. Attamen remedia, quae in incarceratione vulgo adhibentur inflammatoria, maximam ad partem nihil proficiunt, et herniotomia quidem instituatur, necesse est, ubi hernia suspicionem movet, causam incarcerationis in partibus coalitis et inter se convolutis sitam esse.

In incarceratione stercoracea, remedia juste applicata et taxis iterum iterumque repetita, majorem praebent utilitatem, quam in ulla incarcerationis specie. Intestinis enim et abdominis et tumoris hernialis adhuc inter se communicantibus, in-

carcerationis causa magis in eo conspicitur, ut partes aëre faecibusque impletae sint, qua re ratio, quae inter volumen partium prolapsarum intercedit et locum, quem obtinent intestina, sublata videtur. Ad herniam igitur reponendam volumen ipsius diminuatur motusque peristalticus quam maxime augeatur, necesse est. Hanc ob causam purgantia et clysmata irritantia, quibus hernia faecibus liberanda est induratis, maximam afferunt utilitatem, et Richter quidem praecipue recommendat salia et oleosa e. g.

Rp. Sal. anglican. Unc. unam.
solve in
Aq. flor. chamomil. Unc. quinque.
adde
Olei lini Unc. duas.
Succi citr. rec. expressi Unc. unam.
Extr. opii gr. duo
Syrup. flor. papav. rhoead. Unc. unam.

M. S. Singulis horarum quadrantibus cochlear majus, donec alvus sequatur, sumendum.

Praeterea etiam adhiberi possunt Mixturae e Natro sulphurico, oleo lini et sale tartari compositae, alii laudant lac sulphuris. Quae omnia remedia drasticis sunt praeferenda purgantibus.

Maxime autem prosunt clysmata irritantia, remediis enim internis vomendo saepius ejectis. Laude igitur digna sunt clysmata e Solutione tar-

tari stibiati aut Infuso herbae nicotianae parata, aliaque. Clysmatum irritantium praecipue in usum vocandum est Infusum herbae nicotianae, attamen herba nicotianae optime praeparata longum per tempus adhibenda est 27). Ad nicotianae fumum applicandum Gaubius, Lammersdorf, Hagen etc. diversos invenerunt apparatus. Saepius accidit, ut aegroti, herbae nicotianae fumo non consueti, dedolatione, frigido sudore, et vertigine afficiantur, quae autem symptomata clysmata continuanda non prohibent, cum periculi sint expertia. Et accidentibus quidem hisce symptomatibus supra commemoratis, aegroque in balneum tepidum collocato, taxis tentetur.

Quod attinet ad remedia externa in incarceratione stercoracea praecipue adhibendae sunt fomentationes ex aqua frigida, glacie, nive, etc. paratae; fomentationes autem tepidae, quamvis nonnulli recommendent, plane tamen omittantur, necesse est, quod, intestinis relaxatis faecibusque extensis, repositionem multo difficiliorem reddunt.

Fomentationes frigidae duplici ratione adhiberi possunt. Aqua enim frigida, aut repente et ex inopinato herniae infusa, totum corpus vehementer commovetur, quo facto non raro hernia subito in abdominis cavum recedit, 28) aut spleniis dupli-

---

27) A. G. Richters Abhandlung von den Brüchen. p. 228.
28) Petit, l. c. T. II. p. 326.

catis iterum iterumque in aquam frigidam immersis herniaeque impositis, tumor herniosus sensim sensimque evanescit, quae quidem methodus aquam frigidam adhibendi superfusionibus praeferenda mihi videtur.

Quamvis autem hac in incarcerationis specie, periculo non urgente, herniae praterlapsis iam septem imo septendecim diebus interdum repositae sint, tamen taxi non semper confidendum est, praesertim cum symptomata inflammatoria accedant.

Interdum incarcerationis species diversae simul coniunctas reperiuntur, qua ex re intelligas, diversas curandi methodos una adhibendas esse. — Et repositione quidem feliciter peracta symptomata plerumque mox evanescuut, et alvus aut sua sponte, aut remediis purgantibus laxatur. Perdurantibus autem symptomatibus inflammatoriis, apta curandi methodus, et antiphlogistica quidem instituenda est. Si autem, taxi iterum iterumque tentata, symptomata herniae accedunt multo periculosiora, et durities et dolor augetur, herniotomia ultimum est remedium vitam aegri servandi.

Non defuerunt, qui, non incarcerationis tollendae, sed curae radicalis causa, canalem hernialem plane claudendam esse, censerent. Attamen, cum operationis eventus valde anceps sit, herniotomiam hunc ad finem instituere non licet.

CURRICULUM VITAE.

Ego Carolus Ferdinandus Rupp, confessioni addictus evangelicae, die vicesimo tertio M. Martii anno MDCCCV. Dubenae, oppidi prope Lipsiam, patre optimo, Carolo Augusto Leopoldo et matre carissima, e gente Arndt, quos utrosque parentes adhuc inter vivos esse Deo optimo maximas ago gratias, natus sum. Primis literarum elementis instructus, in gymnasio Numburgensi, rectore Wernsdorff tunc vigente, per quatuor annos et semestre in literas, quibus ad academica studia via munitur, incubui. Anno MDCCCXXIV. Berolinum me contuli, ubi, mense Aprili Instituti regii medico-chirurgici Friderico Guilelmiani civibus adscriptus, per quadriennium hisce interfui summorum virorum lectionibus.

De logice et hodegetice Cel. Wolff disserentem audivi; de methodologia et encyclopaedia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum et dentium, de anatomia comparata et pathologica Illustr. Rudolphi, de osteologia, splanchnologia et syndesmologia Illustr. Knape interfui praelectionibus. Eodem et Illustr. Rudolphi in arte cadavera rite dissecandi praecep-

toribus gavisus sum; historiam naturalem universam, botanicen Illustr. Link, physicen, chemiam et pharmaciam Cel. Turte, et Illustr. Hermbstaedt mihi tradidere. Physiologiam, cum generalem, tum specialem Illustr. Rudolphi me docuit, neque defui scholis Cel. Eck de physiologia universa. Pathologiae generalis, semiotices Illustr. Fr. Hufeland, therapiae, tam generalis, quam specialis Illustr. W et Fr. Hufeland, pathologiae specialis et de morbis mentis nec non syphiliticis Illustr. Horn praeceptores mihi fuere. Materiam medicam, fontes medicatos et morbos opificum Illustr. Osann, artem formulas medicinales concinandi mihi tradiderunt Illustr. Knape et Cel. Casper, quippe qui artem quoque medicamina praeparandi me edocuit. Celsi de medicina libros Cel. Hecker mihi interpretatus est, qui simul exercitationes disputandi moderatus est. Chirurgiam generalem, fascias rite applicandi praecepta, de ossibus fractis et luxatis doctrinam, artem obstetriciam Illustr. Kluge me docuit. Tradidere mihi ophthalmiatricen Illustr. Jüngken, medicinam forensem Illustr. Knape, chirurgiam specialem Illustr. Rust, akiurgiam Illustr. Illustr. triumviri de Graefe, Kluge et Rust. In clinicis autem medicis et ophthalmiatrico-chirurgicis Illustr. Ilustr. W. Hufeland, Neumann, de Graefe et Rust exercitatus sum.

Studiorum hoc cursu peracto in nosodochio

caritatis Berolinensi per annum medico-chirurgi inferioris munere functus sum.

Jam vero tentaminibus et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero, fore, ut hac dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur. Quibus factis Dubenam, ut medico-chirurgi turmalis officiis satisfaciam, me conferre iussus sum.

THESES DEFENDENDÆ.

I. Scirrhus mammae amputationem non indicat.

II. Ad herniam incarceratam reponendam, sanguinem ad lipothymiam usque mittendi methodum non plane rejiciendam esse, censeo.

III. In sectione caesarea operationis eventus iusto temporis momento nititur.

IV. Certum graviditatis signum non existit.

V. Ferrum candens, in gonarthrocace applicatum, maiorem noxam, quam utilitatem affert.